Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26207
Copyright: Admont, Benediktinerstift

intrinsecus mortuis quos suscitavit. Conpunctio autem commendatur ibi. Scindite corda vestra et non vestimenta vestra. Confessio ibi. Iustus in principio sermonis accusator est sui. Satisfactio vero ibi. Facite fructus dignos penitentie.

it' de penit. Denique quod confitetur secundum quod aug. ait. exprimat sacerdoti qualitatem criminis. locum. tempus. perseverantiam suam. et eius persone cum qua peccavit conditionem et qui hoc fecit temptatione. Omnis haec ista varietas confitenda est et deflenda. Caveat autem verecundia ductus dividat apud se confessionem. quod est se laudare et ad ypocrisim tendere. et semper venia carere. ad quam per frusta putat pervenire. Sunt autem tres actiones penitentie.

ad Seleucianum. Unde aug. ait. Agunt homines penitentiam ante baptismum de peccatis prioribus ita tamen ut baptizentur. agunt et post baptismum si ita peccaverint ut excommunicari mereantur. Est autem penitentia bonorum fidelium pene cottidiana de peccatis sine quibus haec vita non ducitur. pro quibus pectora tundimus dicentes. Dimitte nobis debita nostra et cetera.

Cui confessio facienda sit.

Denique peccata levia socio cuilibet sufficit corde contrito confiteri. Gravia vero sacerdoti. demum nisi

Beda. absit et urgeat periculum. Unde beda ait super locum illum. Confitemini alterutrum peccata vestra. Coequalibus cottidiana et levia. graviora vero sacerdoti pandamus. Sed et graviora coequalibus pandenda sunt. cum deest sacerdos et urget periculum. Deinde gravia si occulta sunt. occulte confiteantur. Si autem manifesta. publica egent medicina. Quod aug. docet per similitudinem eorum quos dominus resuscitavit. it' de penit. ait enim. In resurrectione puelle pauci interfuerunt qui viderent. Intus resuscitavit quam intus invenit. relictis solis petro et iacobo et iohanne et patre et matre puelle. in quibus figurantur sacerdotes ecclesie. Quos autem extra invenit sic suscitavit. Flebat turba post filium vidue. Flebat maria et martha. supplicantes propter eum in quo docemur publice peccantibus non proprium. sed ecclesie sufficere meritum.

Quod et deus dimittat et dimittit et sacerdos.

Quod autem deus peccatum in cordis contritione ante confessionem dimittit. Unde propheta. Dixi confitebor et tu remisisti.

cass. Ubi cassiodorus ait. Magna pietas dei. quod ad solam promissionem peccatum dimittit.

aug. Item aug. Non dum pronuntiat et deus dimittit. Dimittit autem peccatum hoc modo. quia debitum eterne mortis solvit.